

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0604

0602

0608

0598

0613

0593

0653

0553

0703

0503

1103

0103

31

objectiones turpium et contumelias invicem jaculabant, astantibus Sarracenis etiam audientibus cum ingenti scandalo. Fuerunt ibi quidam de Francia, viri passionatissimi, qui minabantur patrono interfectionem, et quod regem Franciae vellent contra Venetos concitare. Victus ergo patronus importunitatibus peregrinorum dimisit eos, nec nobiscum descendere voluit, sed nos solos cum Sarracenis abire permisit. In quo facto infidelissime egit, non sicut protector, sed sicut proditor. Tamen Deo nos custodiente integro numero reversi sumus in Jerusalem, quamvis multi infirmi facti fuerint, quorum major numerus in mari obiit. Sic in secunda mea peregrinatione rem per duas horas difficultabant, sed cum viderent nos pertinaces et eorum suasionibus non acquiescentes, condescenderunt, dicentes: quod provideremus nobis de cibo et potu, et in crastinum proficisci vellemus nobis paratis. Itaque omnes pecuniam reposuimus ad cellam Fratris Johannis de Prussia, et paravimus nos ad iter.

De recessu peregrinorum a Jerusalem contra Jordanem fluvium sanctum.

Decima nona die mane ante lucem surreximus, et ad ecclesiam beatae Virginis vallis Josaphat transivimus, et ibi, quia sabbathina dies erat, de beata Virgine officiavimus, et post hoc in montem Syon ascendimus ad Officium Conventus. Post prandium et post meridiem acceptis sacculis nostris in atrio ecclesiae Syon exspectavimus ductores nostros et asinarios cum asinis. Tandem autem post taediosam expectationem, cum jam hora vesperarum adesset, venerunt cum bestiis, ut ducerent nos ad Jordanem. Cumque venissent, accurrerunt peregrini ad bestias ad providendum sibi. Orta autem fuit contentio inter quendam militem et quendam religiosum sacerdotem, litigantes pro asino uno, quem quilibet dicebat se prius habuisse. Et percussit miles religiosum multis ictibus pugno, et si gladium habuisset vulnerasset eum, et eum ab asino repulisset, et miles excommunicationem incurrit, quem tamen statim ante nostrum recessum Pater (194 A) Gardianus absolvit. Cunctis ergo peractis descendimus de monte Syon

Ende

Anfang